127.

134

# DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

# QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,*

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-quartâ mensis Martii, anno Domini* M. DCC. LXXII.

## M. DIONYSIO-CLAUDIO DOULCET, Doctore Medico, Præside.

*Num in resecandis Artubus, carnis segmina reservare, satiùs?*

I.



HAUD infrequens humani corporis Artus resecandi necessitas, quò cæteræ partes sartæ incolumesque serventur. Accidat membrorum ossibus fractura ἀλφίτηδον; eorumdem musculis inflammatio, arteriis nothum anevrysma, superveniatque sphacelus; denegato Amputationis auxilio, cita mors occurrit. Insanabilis exedat ossa caries, vigebit lenta febris, alvi profluvium, macies & alia symptomata ab intùs suscepto pure oriunda, donec rescissum sit membrum mali fomes. Summâ frigoris vi quis corripiatur, ita quandoquè frigescent extremorum liquida, ut penitùs coacta fuerint atque concreverint; sic desinente eorum cùm intestino tùm progressivo motu, accersitur necrosis; sic in algidis regionibus, hyeme, plurimi per nivem & glaciem iter facientes, vel in iis pernoctantes, naribus, digitis, pedibus orbi facti sunt; & nisi siderata pars à sanâ maturè sejungatur, brevi serpit, lege circuitûs, ad præcordia lethale virus. Cruenta in infesto bello urgeant arma, multi, post læsos fractosvè Artus, postremo die fata clauderent, nî solers Chirurgus auxiliatrices porrigeret manus. Porrò, circa ἀκρωτηριασμὸν, varii varias instituerunt methodos, inter quas, quàm citiorem, tutiorem & jucundiorem comprobârunt ratio & experientia, eam præ cæteris seligere juvat.

II.

QUO citiùs, tutiùs & jucundiùs Chirurgica celebrentur opera, rescindendarum partium structuram callere operæ pretium est. Meminerit igitur Chirurgus Femur unico constare osse, totius corporis maximo & longissimo, fistuloso, medullâ referto, antrorsùm curvo; Crus verò duobus fulciri ossibus, *Tibiâ* & *Fibulâ* in utroque extremo simul junctis, in medio diffitis. Primum, quod & *Focile majus* audit, longum est, inordinatè triangulum, in medio concavum, medullâ repletum, interiùs situm, in cujus superiore & anticâ parte prominet tuberculum cui musculorum Cruris extensorum tendones annectuntur. Secundum, *Fibula* scilicet vel *Focile minus*, Græcis περόνη, Tibiâ minus, extrinsecùs ipsi coextensum est. Articulo Femoris cum Tibiâ, mobile apponitur os umbonis figuræ, *Patella* sive *Rotula* nuncupatum, peculiari ligamento, musculorumque tendonibus firmatum. Multi memorata ossa amplectuntur musculi variis exercendis motibus apti nati. Femur præsertim ambiunt anteriùs, interiùs & exteriùs quatuor *extensores*, *Gracilis* nimirùm, *Anterior* vel

* *Auctore M*, ELIA COL DE VILLARS, *anno 1744.*

*Rectus*, *Vastus* cùm *internus* tùm *externus* & *Cruralis*; sex verò *flexores*, *Biceps* nempè, *Semi nervosus*, *Semi membranaceus*, *Gracilis internus*, *Sartorius* & *Poplitæus* posticam & internam ejusdem ossis partem potissimùm tegunt. Tibiam & Fibulam obvolvunt octo musculi; duo videlicet pedis *flexores*, *Tibiæus anticus* & *Peronæus brevis* anticam Cruris faciem occupantes; sex autem *extensores*, *ambo Gemelli* sive *Gastrocnemii*, alter *externus*, *internus* alter, *Solæus*, *Plantaris* vel *Gracilis posticus*, *Tibiæus posterior*, *longus* aut *posticus Peronæus*. Tres primi maximam suræ molem constituunt, & in validam cedunt Achillis chordam, quos inter, gracili tendone, descendit Plantaris. Cæterorum situs ex nomenclaturâ. Adde musculum *membranaceum*, vulgò *Fasciam latam*, in anteriorem & exteriorem Femoris, externamque tibiæ faciem, membranæ ad instar, expansam. Nec interosseum ligamentum Tibiam inter & Fibulam intermedium obliviscare. Hos breviter descriptos Artus alluit arteria cruralis, externæ Iliacæ soboles, sub abdominalium musculorum arcum exoriens, in anticâ & ferè internâ ac superiore Femoris parte, Fasciâ latâ & solis tegumentis tecta. Post quinque vel sex transversos digitos iter pergens, mox profundior, internam subindèque sensìm posticam, ad poplitem usque, partem legit, solâ hìc adipe & cute cooperta. Hinc bifida, *anteriorem* largitur *Tibialem* ligamentum interosseum perforantem, & *Tibialem posteriorem*, à quâ abscedit tertia arteria *Suralis* dicta. In venam Iliacam externam, reducem ab arteriis descriptis cruorem effundit vena cruralis. Nervus tandem cruralis cum arteriâ & venâ ejusdem nominis ex Abdomine egrediens, anteriorem & internam totius Artûs partem, Ischiaticus verò posteriorem & externam, surculos hinc indè largiendo, lustrant. Cognitâ sic Femoris & Cruris structurâ, quoties alterutrum rescindere necesse fuerit, hoc opus faciliùs & tutiùs suscipies.

## III.

VULGARIS resecandi Femoris aut Cruris methodus hæc est. Præmissis omnibus requisitis remediis, instrumentisque ad id opus idoneis ordine dispositis, æger in cubilis margine semi-supinus collocatur, in famuli brachiis innixus. Adjutores duo rescindendum membrum, Femur v. g. apprehendunt, firmiterque sustinent, alter scilicet partem superiorem, inferiorem alter. Super arteriâ crurali, infrà ejus exortum, linteus imponitur globulus circulari splenio tres digitos lato continendus. Circa hoc splenium injicitur laqueus qui torculari extrinsecùs ita constringitur, ut inhibeatur cruoris cursus; mox cute musculisvè, quantùm fieri potest, sursùm retractis, ad inferiorem Femoris partem alter admovetur laqueus, quò secandæ carnes firmiores stent, & post Amputationem deorsùm deprimi, ac truncum faciliùs amplecti possint, ne secatum os longiùs promineat. Tunc Chirurgus extra membrum situs, cutem & carnes, infrà secundum laqueum, cultro falcato, ad os usque in circulum scindit. Hinc adjutor, splenio semi-fisso, sanas retrahendo carnes sustinet, dùm Opifex serrâ primùm leniter, deindè celeriter, leviter tamen os desecat. Peractâ incisione, remittitur torcular, ut exsiliens cruor arteriarum situm indicet. Rursùs torcularis ope cohibito sanguine, circa detectas arterias curva utrinque trajicitur acus ceratum ducens linum, quo hæc vasa ligantur unà cum quâdam carnis portione vasorum tunicas, culcitæ ad instar, ab arctiori constrictione fili tutante, interjecto eâdem de causâ duplicem inter nodum spleniolo. Absolutis ligaturis, longiora relinquuntur fila, ut extra fasciationem relevari possint & per suppurationem exsolvi. Cùm huic operi subjicitur crus, excisis à Chirurgo intra tibias sito musculis, interosseum ligamentum scalpello recto incidendum venit. Posteà serrâ secantur ossa, à crassiori, Tibiâ scilicet incipiendo, hinc ambo simul incidendo, ita tamen ut Focile minus priùs sit omninò resecatum. His peractis, ossium extremis sicci admoventur plumaceoli, amplumque sectis carnibus linamentum, vel nudum vel pulveratâ terebinthinâ respersum. Soluto inferiori laqueo, cutis & excisi musculi deorsùm deprimuntur, truncum, quantùm fieri potest, cooperiendi causâ, & ne sursùm recedant, duæ super linamentum decussatìm applicantur teniæ, quæ emplastro

glutinoſo illitæ, cuti tenaciter adhærent, cruciatiſque ſpleniis continentur. Aptâ deinùm obvolvitur faſciâ membrum in loco idoneo reponendum. Solvitur interim torcular: at ne ſuperveniat hæmorrhagia, laxeturque faſciatio, adactâ miniſtri manu, totus per aliquot horas fulcitur apparatus. Hæc de Brachio ſimiliter dicta ſint. Verùm amputatione ſic celebratâ, diætâ & venæ-ſectionibus ritè adhibitis, vulnus niſi intra duos, tres quatuorvè menſes ſanari non ſolet, & præterquàm quòd diutiùs protrahitur curatio, cutis & muſculi elatere ſuo ſursùm retrahi perpetuò nitentes, mutilatum membrum, oſſe prominente, denudatum ferè relinquunt, multis obnoxium incommodis. Aliam igitur decurtandorum Artuum methodum inquirere ſatage. Nullam autem invenies aptiorem eâ quâ cutis & carnis ſegmenta, reſecato trunco, aptanda ſuperſint.

I V.

EX dicendis tibi manifeſtò patebit in Artubus reſecandis carnis ſegmina reſervare ſatiùs eſſe. Sed ut ſis votorum compos antequàm ſuſceperis opus, attento animo perpendere neceſſum habeas, utrùm huic ferendo pares ſint ægri vires; num ſphacelo totum afficiatur membrum, aut alio lethali morbo ſit correptum; inutilis ſiquidem & irrita foret amputatio; num tandem abſque membri jacturâ ſuccederet ſanatio. His itaque conſideratè penſitatis, exciſione ſtatutâ, ſuo quibuſque loco diſpoſitis, præmiſſiſque præmittendis generalibus auxiliis, ſi Femur v. g. ſecare neceſſe fuerit, ſic ad opus te accinges. Sanguinis circuitu, torcularis ope, cohibito, adjutores duo membrum firmè contineant. Tunc arrepto manu ſcalpello recto ſeptem circiter pollices longo, ſex lineas lato, dorſo ſursùm ſpectante, extrorsùm collocatus, mucronem ejus ad os uſque adiges, in anteriori Femoris parte ubi ſecandum eſt os, quatuor ſcilicet ſupra genu tranſverſos digitos. Cùm os pertigeris, ſcalpellum in ejus latus inflectendo, poſticos quoque muſculos & ipſam cutim transfiges, deorsùmque ſecando, duces inſtrumentum per digiti transverſi longitudinem; mox extrorsùm obliquè incidendo, cono ſimile formabis ſegmen, eâ longitudine cæſum, quâ cum altero fingendo accuratè adaptari poſſit. Dein adacto ſimiliter ſcalpello, aliud ex alterâ oſſis parte ſegmen ſecato. Ambobus ſegminibus fiſſi ſplenii beneficio ſursùm elatis, quod carnis relictum fuerit, ipſummet Perioſteum ſcalpello incurvo circumcide; os exindè, ut ſuprà, ſerrâ deſeca. Fragmenta, ſi quæ ſuperſint, *inciſoriâ* Forcipe confeſtìm deme, ne carnes pungant lædantque. Mox ligatis ſolito more vaſis, deflexis infrà poſteriorem inſecturam ligaturarum filis, ac vulnere egelidâ aquâ eluto, ſegmenta ſine morâ ſolerter accommodabis inter ſe & truncum ut hæreant. Vulneri, ſecundùm ejus longitudinem, ſiccum impones plumaceolum, & latum extremo membri linamentum admovebis, operiendum ac continendum fiſſis ſpleniis, glutinoſo emplaſtro illitis, quorum extrema cum ſuperiori Femoris parte decuſſatìm conglutinabis, ſuturæ ad inſtar ſiccæ, apparatumque, faſciatione idoneâ, & laneo vel coriaceo firmabis pileolo. Truncum tandem, admotâ miniſtri manu, per aliquod tempus premi curabis, ut intimiùs inhæreſcant carnes obturenturque vaſa. Denique ſolvatur torcular. Eâdem methodo fiat Cruris Amputatio, ſervatis in ſuperiore corollario prædictis cautionibus. At deficientibus in anteriori parte muſculis, tegumentis hîc tranſverſim ſectis, ad utrumque latus ſegmina fieri juvat; haud prætermiſsâ interoſſei ligamenti accuratâ ſectione Quidam, unicum ponè Tibiam & fibulam cæſum ſegmen ſufficere autumant; hos nec in Cruris, nec in Brachii decurtatione vituperandos cenſemus. Iis omnibus ex arte adhibitis, ſolitâ & idoneâ curatione inſtitutâ, diætâ & venæ ſectionibus non omiſſis, lætus videbis, intra decimum octavum præter propter diem, integram vulneri ſupervenire ſanationem.

V.

JAM nunc dubius & anceps hærebis utrùm hæc decurtandorum Artuum ratio ſit vulgari præponenda? Perpende quot indè ſint ægris emerſura commoda. 1°. Quidem multò citior eſt ſanatio, imò, nullâ ſuperveniente oſſis exfoliatione; cùm

ex vulgari methodo, ad tres quatuorve menſes aut ampliùs curatio protrahatur, relictis plerùmque ulceribus curatu difficillimis, quorum in ſanguinem refluens pus, febrem lentam, diarrhœam, maraſmum, ipſamque mortem producere pote eſt. Adde quod colliſu nonnumquam renovetur ulcus. 2°. Aptè repoſita ſegmina ſibi & oſſi facili negotio cohærent, truncum obvolvunt, operiunt; ſicque reſervata caro mutilatæ parti pulvinaris loco eſt, & ſine moleſtiâ, Crure amputato, artificialis Cruris ope, incedere, currere, genu flectere & extendere pro lubitu valet æger. Contrà, aliâ reſcindendi ratione ſecatum os neutiquàm tegunt muſculi, quin, ſæpè ſæpiùs, extra carnes longè prominet, non parvum incommodum greſſui daturum. At, inquies, ἀκροτηριασμος per inſitionem inſtitui minimè videtur quin gangrenæ, vel ſaltem periculoſæ ſuppurationi detur anſa; abſciſſæ quippè carnes non ita ſibi invicem & mutilato trunco cohærere nec conglutinari poſſunt, niſi ſpatium quoddam relinquatur, excipiendis aptum ſtillantibus liquidis mox ſtagnaturis & brevì corruptelam ſuſcepturis. Verùm, ſi ad promptum illud & mirandum naturæ opus attendas in partibus ſibi invicem agglutinandis, licet à ſe longè diſſitis, in reſtituendis v. g. leporinis labiis etiam maximè diſtantibus, in reſarciendis decurtatis naribus, &c. omnis facilè vaneſcet metus, modò vulnerata recenter labra ſanguine madentia & ſana, ad invicem proximè jungantur ac idoneæ faſciationis beneficio, & comprimente famuli manu, probè conjuncta ſerventur. Urgebis an non obſtaculo erunt excreſcentiæ ſeu exoſtoſes quæ in homine vegeto obſervantur aliquandò è trunco emergere? Succus enim nutritius ex oſſibus ſectis perpetuò defluens, haſce producere potis eſt excreſcentias quæ conſervatam carnem pungendo, incedenti nocivæ admodùm forent. Reſpondemus, accurato apparatu, apprimà tenace, huic incommodo præcaveri. Solutis igitur prædictis difficultatibus, conſideratis verò commodis ex propoſitâ methodo oriundis, nulla ſequenti potior concluſio.

*Ergo in reſecandis Artubus, carnis ſegmina reſervare, ſatiùs.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Nicolaus* JEANROY, *Chirurgiæ Latino Idiomate Profeſſor, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius.*

*M. Auguſtinus* ROUX, *Regiæ Societatis Rei Agrariæ, necnon Regiæ Scientiarum Academiæ Burdigalenſis Socius.*

*M. Achilles-Guillelmus* LE BEGUE DE PRESLE, *Eques & Cenſor Regius.*

*M. Cæſar* COSTE, *Cenſor Regius.*

*M. Petrus-Joannes-Claudius* MAUDUYT DE LA VARENNE.

*M. Stephan.* D'HUAUME.

*M. Jacobus* VERDELHAN DES MOLES, *Sereniſſimi Principis Condæi Conſiliarius Medicus.*

*M. Carolus-Ludovicus* LIGER.

*M. Joannes-Stephanus* GUETTARD, *Regiarum Academiarum Pariſienſis, Rupellenſis, Florentinæ & Stokolmienſis Socius, Cenſor Regius & Hiſtoriæ naturalis Muſæi Sereniſſimi Ducis Aurelianenſium Cuſtos.*

Proponebat Pariſiis THEOBALDUS NIZON, Sacro-Cæſareus apud Bituricenſes, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus.
A. R. S. H. 1772. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1772.